



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

Quid sit conuersio, vnde dicatur, & de speciebus eius, cap. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

LIBER PRIMVS.

A

venit super montem Stromberg. Postea quarto anno descendit in vallem, quæ nunc dicitur vallis sancti Petri. APOLLONIUS: Cùm ex his quæ audiui, ordo Nigrorum & noster eiusdem sint regulæ, miror cur tam disparis sint disciplina. CÆSARIUS: Noueris Cluniacenses & Cistercienses vnus quidem esse regulæ, sed dissimilis obseruantia: aiunt enim rigorem regulæ à quibusdam sanctis patribus esse temperatum, vt multi in ordine possint saluari. De habitu verò, in quo maxima videtur esse diuersitas, audi quid dicatur; De colore aut grossitudine non causentur monachi, sed quales inueniri possunt in prouincia qua habitant, aut quod vilius comparari potest. Hęc de his dicta sufficiant. Hoc autem fixum teneas, ordinis nostri auctorem esse Spiritum sanctum; institutorem sanctum Benedictum; innouatorem verò venerabilem Abbatem Robertum.

S. Benedicti. cap. 55. regula sua.

CAPVT II.

APOLLONIUS.

Considerans in præfatione tua ordinem propositæ narrationis, miror contritioni antepositâ gratiam conuersionis, cùm videatur prorsus superfluum, vt quis conuertatur, nisi prius de peccatis suis conteratur. CÆSARIUS. Contritio aliquando præcedit conuersionem, aliquando sequitur. APOLLON. Vellem mihi hoc exemplis probari: prius tamen audire delectat, quid sit conuersio, vnde dicatur, quot sint eius species, seu quibus occasionibus quis conuertatur. CÆSAR. Conuersio est cordis versio, vel de malo in bonum, vel de bono in melius, vel de meliori in optimum. De hac conuersione per Salomonem dicitur: Verte impium, & non erit; subaudis, peccator, quod prius fuit. Prima versio est ad cor, secunda in corde, tertia de corde: prima cõuersionis, secunda deuotionis, tertia contẽplationis. Cõuersio ad cor est redire de culpa ad gratiam, de peccato ad iustitiã, de vitio ad virtutẽ; de hac per Isaiam dicitur: Præuaricatores redite ad cor. Conuersio in corde est profice-

Proff. 12

Isai 46

A 2

re in

DE CONVERSIONE

4

Psal. 83. re in charitate, ire de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion, id est, in contemplatione. de hac per Psalmistam dicitur: Ascensiones in corde suo disposuit, &c. Conuersio de corde est mentis excessus in contemplatione: hac vsa sunt caelestia illa animalia, quae ibant & reuertebantur. Ibant de corde ad Deum, per contemplationem ascendendo; reuertebantur ad actionem rursus descendendo. Contemplatio supra cor est, vnde excessus mentis in scripturis dicitur. Dicitur autem conuersio, quasi simul versio, id est totalis. Secundum hoc, qui vnum vitium deserit, & ab altero non recedit, se quidem vertit, sed non conuertit. Vnde Psalmista orat; Conuerte nos Deus salutaris noster, &c. Est & alia species conuersionis, cum quis locum & habitum mutat, zelo alicuius religionis. Talis conuersio saepe fit sine contritione. Neque magnum est coram Deo peccatorem mutare locum, & non vitium; mutare vestem, & non mentem, Monstruosa res est, sub vestitu ouium, cor gerere lupinum. APOLLONIVS. Nunquid hoc contingere solet? CAESARIVS: Etiam, ecce exemplum.

CAPVT III.

De ijs qui in conuersione habitum & locum, non autem mentem mutant. **R**etulit mihi frater Godefridus monachus noster, quondam canonicus sancti Andreae in Colonia, cum essemus simul in probatione, rem dignam memoria. Asserebat sibi a quodam monacho Clauualis bene noto relatum, quendam clericum actum trutanum, quales per diuersas vagari solent prouincias, venisse ad Claramvallem, non quidem zelo ordinis, sed vt aliquid monasterio raperet sub pallio religionis. Factus itaque nouitius, cum per totum annum probationis suae insidiaretur ornamentis Ecclesiae, & propter diligentem custodiam satisfacere nequiuisset cordis sui malitiae, haec intra se cogitabat: Cum factus fuero monachus, & licuerit ministrare, sine nota ac labore ipsos calices subtraham, sicque recedam. Ecce tali intentione legit professionem, promittit obedientiam, induit cucullam. Sed pius Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur

Ezech. 18. &